

plum in honorem Eucharistiae excitetur pro auspicata ac perenni pace obtinenda, servanda ac tuenda, et pro piandis simul animabus militum, qui in bello ceciderunt. Consilii auctorem piique Foederis conditorem non sine laetitia noscimus esse dilectum filium Cesarini Florinum, Sacerdotem superiorem domus Taurinensis Congregationis SSmi Sacramenti; minime enim Nos latet, eundem sacerdotem in ipsa Ecclesia Sanctae Mariae *di Piazza* instituisse Societatem Adorationis Nocturnae inter homines, quae, sociorum pietate praestans, iam uberem in Dominico agro segetem metitur. Quare, cum nuper exhibitae Nobis fuerint preces, ut sociis primae classis, in scriptis in dictum Foedus a Laude perenni pro pace, peculiares nonnullas indulgentias largiri dignaremur, Nos, ut tam frugiferum opus potiora in dies, favente Domino, incrementa suscipiat, optatis his annuendum ultro libenterque existimavimus. Quae, cum ita sint, audito dilecto filio Nostro S. R. E. Cardinali Pænitentiario Majore, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, omnibus et singulis sociis tam inscriptis, quam in posterum inscribendis in primam classem enunciati Foederis a *Laude perenni pro pace* iuxta ipsius tabulas, quoties se mente uniant reliquis sodalibus, recitando invocationem, contrito corde, *Fiat pax in virtute tua* toties iis de numero poenitium dierum, in forma Ecclesiae consueta, trecentos expungimus. Præterea fidelibus, qui dicto Foederi se in posterum inscribant, si ipso inscriptionis die, vel uno, ad lubitum cujusque eligendo, e septem continuis immediate sequentibus diebus, Eucharistico Pane se reficiant et in quolibet templo sive sacello pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam; insuper sociis dicti Foederis tam inscriptis, quam in posterum rite inscribendis, qui, vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, quotannis, Nativitatis, Epiphaniæ, feriæ quintæ hebdomadæ Majoris, Paschatis Resurrectionis Domini, Pentecostes, Immaculatæ Virginis Conceptionis, Deiparæ Virginis sideribus receptæ, Apparitionis S. Michaelis